

contriverunt in sophisticis contentionibus, quam in evolventibus bonis authoribus. Hi fortè cavillabuntur nimis audacter à me rejici quædam, è quibus tamen permulta citat Gratianus in Pontificum decretis. Respondere poteram, quemadmodum & antè sum testatus, opus illud ulu modo scholasticorum receptum. Nec enim ullis constat argumentis, quis fuerit Gratianus, quo tempore suum exhiberit opus, cujus Pontificis, cujus Concilii fuerit autoritate comprobatum. Nam ea quidem fabula, quæ de palea jactatur in scholis, proflus affinis videtur illi, quæ de permutatione Diomedis & Glauci, deque legibus à Gracis petitis fertur in Pandectarum glossemat. Deinde in tam confusa rerum congerie, cum interim velut à disputante pugnantes sæpenuerò sententia recitentur, non continuo pro oraculo convenit accipi, quicquid ibi scriptum offenderis. Primas illic tenet Isidorus, ac summus de rebus pronunciat homo grammaticus. Nihil enim his aliud (quod equidem sciam) scripsit: & ita grammaticus, ut à grammaticorum quoque collegio rejiciatur. Ac mihi quidem videtur is, quisquis fuit, sive Gratianus, sive Crassianus, hoc potissimum consilio veterem illam decretorum collectionem antiquare nova voluisse, ut Isidorum suum conterranum, opinor, & alios quosdam recentiores nobilitaret. Nam Bedam inter eruditos numero.

Hoc eam ob causam admonui, ne cui mirum videatur, si quem librum Hieronymi nomine citat Gratianus, qui non sit Hieronymus, videlicet homo sæculo natus infelicissimo, & veteris literaturæ proflus rudis & imperitus: adeo ut sæpenuerò cum ex Hieronymianis commentariis citat testimonia, si quis incidit, quod vel ob antiquitatem vel Græcitatē admixtam minus intellexerit, transfiliat, cum ea magis etiam ad rem pertineant. Postremo labi potuit summus Pontifex, hallucinari potuit summum Pontificis consilium, in his, inquam, quæ ad fidem necessitatem non pertinebant. Nec enim continuo periclitatura sit Christiana religio, si quis Evangelium Marci Petri titulo legere malit, à quo nonnulli distatum existimantur: aut Pauli ad Hebræos Epistolam Clementi malit asserere. Rem potissimum approbavit Ecclesia: de autore non reclamans quidem, sed neque digladians. Ad hæc multa passim irrepunt in publicam consuetudinem, Episcopis vel inficiis, vel conniventibus, quæ deinde, quoniam extorqueri vix possunt, publicis condonantur affectibus, & tolerantur verius quam approbantur.

Atque utinam tantum esset otii Romanis Pontificibus, ac cæteris Episcopis, ut in his quæ ad Christianam pertinent eruditionem, tantum studii curæque possent impendere: quantum & ipsa meretur res, & publica flagitat utilitas. Hoc loco sentire puto cordatum lectorem, qui reciteam, ac tacite cogitationi relinquam. Siquidem expedit nonnullam & vera tenuisse. Ad hæc, ut repetam quod jam superiore præfatione diximus, non hoc agebatur id temporis à Gratiano, cujus essent ii libri quos citat, Hieronymi ne, an alterius, sed quod ad argumenti propositi comprobationem facere visum est, in reliquum agmen ascripsit. Et quoniam jureconsultis titulo citare mos est, cum addidit, quem fortè reperit in codice. Quemadmodum & divus Hieronymus, opus ad Herennium, Ciceronis nomine citavit. Atqui si hæc de re incidisset disputatio, non dubito quin negaturus fuerit à Cicerone profectum. Nisi fortè quoties apud eundem Gratianum deprehendimus Hieronymi nomine citata, quæ sunt Origenis: aut Cypriani titulo, quæ sunt Augustini: id quod in multis accidere palam est: aut cum offenderimus in Catalogo scriptorum pro Juvenco subditum Vincentium, aut aliud simile: quod vel authoris errore, vel librarii commissum sit incuria: protinus actum putabimus de fide deque autoritate totius voluminis.

Proinde quod ista femovimus, nihil, opinor, attinet ad fidei Christianæ veritatem, sed ad Hieronymi gloriam pertinet: in quem indignum erat hujusmodi conferri nenas, quem virum haud conveniebat à tali præcone laudari: pertinet ad studiosorum utilitatem, quos passus non sum, pro doctissimis optimi viri scriptis, inuisa obsecuri nebulonis blateramenta legere. Porrò quod audio quosdam ineptè metuculosos objicere, si in receptis sanctorum doctorum voluminibus aliqua convellantur, periculum fore, ne divinæ scripturæ vacillet autoritas: etiam si nihil ad hanc rem pertineat, tamen non alienum fuerit paucis refellere. Nec enim hic de divinis agit literis, sed de libellis falso inscriptis Hiero-

nymo. Quod si maximè ageretur, succedere conveniebat, non ei qui falsitatem coarguit, sed qui admiscuit. Et enim quo quicque sacratus est, ac propius ad Christianam atinens pietatem, hoc sceleratius est vitare quod scriptum est.

Rursum quò gravius crimen corruptoris, hoc magis amplectendum officium restituentis. Non hoc est falsitatem inducere sacris literis, sed excludere. Nec ob id periculum est, ne minoris fiat aurum, si fuerit ab aurifice repurgatum: aut ne abijciantur gemmæ, si quis adulterinas & factitias semoverit. Imò hoc certior erit divinæ scripturæ autoritas, si nihil in ea vel subditum, vel mendosum residere patemur. Nisi forte nunc non credimus quatuor Evangelis, quod reliqua veluti fabulosa damnavit Ecclesia. Aut metuendum est, ne mundus universus desinat à Christo, si quid in arcanis literis indicaro vel ab indoctis aut supinis libris depravatum, vel à dormitante interprete parum commode reditum. Nihil credit, qui quidvis credit, ut qui non iudicio, sed animi credat levitate. Nemo verus credit Evangelis, quam qui non omnibus credit Evangelis. Nemo plus desert sacris libris, quam qui à verè sacris secrevit apocryphos. An is tibi videtur honorem habere Hieronymo, qui nolit Hieronymum à nebulone dignoscere? Plinius ita demum credit placuisse librum, si quædam displicuerint: usque adeo non existimat probari, nisi quod iudicio probaris.

Et superiore præfatione satis, opinor, demonstratum est, nullum esse scriptorum genus, quod non alicubi sit subditum hujusmodi libris contaminatum. Num illud pium & candidum esse duces, cuius indocto permittere, ut quilibet invehat, depravet quilibet: non permittere studiosis & eruditus, ut quod suppositum fuerit, rejiciant, quod vitiatum, emendent? Sed illud fortassis exigit, ut hoc autoritate fiat Episcoporum. O rem præposteram. Non indignatur impostori, qui citra ullius autoritatem vitia vitiosos libros: in eos stomachantur, qui citra totius Ecclesiæ autoritatem, quæ vitata sunt, corrigunt. Quamquam nos haud conamur præire principibus Ecclesiæ, sed illorum occupationes hæc nostra qualicumque adjuvamus opera. Admonemus, non decernimus: indicamus, non iudicamus. Neque quicquam addabito, quin & illi vel potissimum sint nostram comprobaturi sententiam.

Sed odiosum est, inquiunt, tot jam sæculis recepta labefactare. At quid olim septuaginta editione receptus? Nec tamen hanc veritas est Hieronymus, frustra reclamantibus cum Augustino quibusdam Episcopis, sua interpretatione corrigere. Quid illa de septuaginta cellulis fabula decantatur? At non dubitavit Hieronymus rem nulli non creditam, non solum Augustino, mendacium appellare. An quicquam est hac novi testamenti editione vulgatus? At quid deceffit de pondere veritatis Evangelicæ, quod Laurentius homo rhetoricus magis quam theologus, locos aliquot reprehendit perperam ab interprete redditos? An minore fide jam Epistolæ Paulinæ leguntur, quod earum editionem hanc qua vulgo utimur, Jacobus Faber Stapulensis, vir non minus integritate vitæ quam eruditione probandus, negavit esse Hieronymi: quod Laurentium imitatus, permulta mutavit, vel depravata, vel male reddita? Qua quidem in re nos quoque per idem tempus navabamus operam, ac mirè factum est, ut cum uterque de altero nesciret, tamen ambo rem eandem, eodem moliremur tempore, etiam si illius anteverit editio. Quæ utinam esset ejusmodi, ut nostra quam paramus, profusus supervacanea videri possit. Plurimum tribuo Fabro, ut viro non vulgariter erudito, venero, ut optimum, & faveo, ut amicissimo. Verum si in prophanis rebus Aristoteles, veritatis potius quam amici Platonis rationem habendam esse iudicavit, multo magis id par est facere in his literis, quas inter sacras habemus, ut ita dicam, sacratissimas.

Nec hoc dixerim, quod illius editionem minus approbem, sed ut mihi detur venia, sicuti videbor à tanto viro dissentire. Verum ut ad id quod agitur redeam: quid proximi hæc diebus accidit Ecclesiæ? Num labascit orbis Christianus, quod Paulus Middleburgus Episcopus Forosempromenensis, publicum de ratione festi Paschalis errorem, libris editis coarguit? Quod si tantarum novatione rerum, non solum non labefactatur Ecclesiastica autoritas, verum etiam constabitur: quid pavitant ne cælum ruat, si nos ab eruditissimis Hieronymi libris illiteratas ineptias studium semovere? Atque utinam quod in Epistolarum voluminibus

præfatum, in cæteris item illius commentariis præfate licuisset.

Quod si omnino requiritur autoritas, molimur hæc multis ac magnis, & his eruditissimis, faventibus, adhortantibus, nec extimulantibus, approbantibus modo, verum etiam effusissima liberalitate nostram industriam adjuvantibus. Quorum princeps & antesignanus unicus ille studiorum meorum Mæcenas Gulielmus Waramus Archiepiscopus Cantuariensis, totius Angliæ primas, vir omni literarum ac virtutum genere sic absolutus, ut quæ vix singula reperias in aliis, in hoc miris universa: & unus abundè sufficiat ad omnes consummati præfatis dotes, velut in tabula representandas. Nec alii sanè sua laude fraudabuntur.

Verum in præfatione non est onerandus longiore præfatione lector. Illud modo adiciam, admonitus est jam pridem super hoc nostro labore Leo Pontifex modis omnibus maximus, idque non tantum mei, sed complurium item excellentium virorum literis, à quo ceu doctissimo simul & optimo, non illud solum expectamus, ut hos conatus nostros sua comprobet autoritate, verum etiam ut amplissimis premiis profectatur. Verbo quidem hæc, fateor, à nobis sunt disputata, quam prologorum modus patitur. Sed nihil non tentavimus, nullum non movimus lapidem, quo nemini non esset satisfactum, ut alios alia res vel offenderent, vel placant.

Quod si quis adhuc reperietur vel adeo stupidus, vel adeo sibi ipse inimicus, vel ita diutina consuetudine corruptus, ut in hisce blateramentis bonas res velic male collocare, ne his quidem habeat quod nobis succenseat, quandoquidem per nos habet omnia, quæ superiores editiones complectebantur, eaque multo quam ante hæc emendatiora. Nonnullis etiam additis, quæ illic non habebantur. Adeo cavimus ne quem offenderemus, ut eruditè pariter & ineruditus, æquis & iniquis, deploratis simul & bonæ spei ingenis studuerimus morem gerere. Bene vale lector amice. Basileæ, Anno M. D. XV. Mensis Augusti.

## CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

*Animadvertite quæso lector, quam totus sermo jaceat, adeo non facundus, ut nec semelatinus. Deinde quam nulla felix inventio. Tum quam rara frigidæque sacrarum testimonia scripturarum. Sentias impudentissimum aliquem rabulam effusentem, non proloquentem, & quicquid in buccam venerit, eblaterantem. Et tamen ausus est homo suavisissimus, addito suis nugis Hieronymi nomine sperare futurum, ut hæc pro Hieronymianis legerentur. Ac verissime quidem dictum est, nihil tam absurdè fieri, quod non reperit admiratorem. Non solum leguntur hæc à magnis, ut sibi videntur, Theologis, verum etiam in gravissimis questionibus, velut oracula citantur.*

AD TYRASIIUM SUPER MORTE  
filie suæ, Consolatoria.

**B**ENEDICTO & dilectissimo parenti Tyrasio Hieronymus. Charitatis tuæ scripta percepi, in quibus animi tuum dolore commotum de filie dormitione cognovi. Non aliud principaliter admiratus sum, quam Christiani peccatoris in te ablatam virtutem fuisse, ut animum hæceteres ad dolorem. Stupeo murum fidei penetratum vulneribus orbitatis, quem seipere debuerat spes resurrectionis & regni cælestis. Nunquam spes cum dolore concordat, nec fides aliquando sentit quantacumque jacturam. Resurgere credimus mortuos & plangimus: Quid faceremus si mori tantummodo sine resurrectione præciperet Deus? Voluntas ejus utique sola sufficeret ad solatium, cui nullum præponere jubemur affectum. Quod dederat, abstulit qui creaverat. Quis est qui plangat quod ad tempus acceperat? Commodaverat ut haberes quantocumque tempore voluisset: ut cælum vellet, rursum auferret. Nihil abstulit tuum, qui dignatus est recipere proprium. Creditum suum recipere deicit creditorem: & nihil aliud decet, quam creditori suo gratias agere mutantem. Sic Job legimus: quam sequamur devotissimam vocem: Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.

Parva ergo non erat hæc consolatio contra luctum, quod Tom. V.

nemo lugere debeat, cum aliquid reddiderit alienum: quia fas non erat apud alium retineri, quod Domino suo fuerat necessarium. Addit consolationis alia providentia: quæ jaculis orbitatis occurrat. Plangere debuimus de sæculo recedentes, si sæculi inimicitias contra nos minimè sentiremus: & plangimus Domini beneficia, qui novit infirmitati nostræ quid præstet. Periclitari volebat adhuc, qui dolet aliquem dormientem: & inter fluctus vitæ præsentis videre cupiebat miserum laborare. Talibus ac tantis tempestatibus vitæ, tot impugnationes diaboli, tot corporis bella, tot sæculi clades evasit. Et lachrymas fundis, quasi nescias quid in te ipso quotidie patiaris. Propter quod admonet Dominus Apostolos suos, dicens: Si diligeretis me, gauderetis, quia vado ad Patrem. Planè Lazarum flevit mortuum, sed non tuas lachrymas fudit. Resurrectionis promissor dolorem docere non poterat: ne fidem perfidiam faceret, quam docebat. Doluit Lazarum non dormientem, sed potius resurgentem: & flebat, quem cogebatur propter salvandos alios ad sæculum revocare. Hanc vitam dans Dominus, ingemiscibat, quam tu doles esse sublata. Contra lachrymas ejus pugnant lachrymæ tuæ, & amor tuus amor ejus non convenit. Hic fletus non habet pietatem. Ille nolebat reddere laboribus, quem dilexerat: & tu amare credebas te, cui laborum volebas adhuc præstare tormenta?

Cæterum si putas eum Lazarum doluisse, antè non permisisset exire, qui repellere potuit mortem. Aut certe non fletet, qui mortuum suscitare postmodum habuerat potestatem. Unde apparet, sola eum causa fuisse commotum, quod ad hostilem vitam charissimum revocare denuo, & propter credituros aliquos & confundendos incredulos, urgebatur. Denique sic subsecutus est, dicens: Ergo pater, ut credant, quia tu me misisti, ait clara voce: Lazare prodi foras. Et factum est.

Gaude ergo unde ille coactus est flere, ne tu saltem videris dormientis felicitatibus invidere. Ab alieno mundo proprium transtulit ad Dominum: & de hostili patria migravit ad cælum. Contra sic Apostolus commemorat, dicens: Quamdiu sumus in hoc sæculo, peregrinamur à Domino. Non ergo nobis luctum debet incutere quisquam, cum à peregrinatione redire meruerit ad propriam regionem, maxime cum non inanis & vacuus redire noscatur, qui Christianitatis mercatus est lucrum: propter quod descendit ad mundi commercium. Et ego, inquit, nulla promissionum caelestium dubitatione conturbor, sed sola separatione dormientis æstuans, desolatus solatio pii pignoris jactior.

Excusatio est hæc Benedicte sine dubio fragilitatis humanæ, quæ patrocinari non potest diffidentia. Si enim desolationes homines ferre non valerent, nunquam profus parentes à se sua pignora dimisissent. Destitutos se à morientibus conqueuntur: & vivos filios, aut propter honores, aut propter negocia peregrinis regionibus credunt: & gaudent tota vita sine affectibus commorari, dummodo capiant, quod cupiunt de suis pignoribus adipisci: & ut ad palatia pergant, peregrinantur. Ad studia dignitatis navigant acquirenda, vel ad causas patrimonii aliquas explicandas cum labore & periculo, proficiscentes omnes impellunt, nec secum vacare quos diligunt, patiuntur. Et ut ad palatia cæli, ad studia Christi, ad honorem vitæ perpetuæ, & patrimonium possessionis æternæ cum securitate valeant pervenire, nemo filios suos à se libenter gratulatur abscedere. Ad comparanda peccata gaudent tam parentes à filiis, quam filii à parentibus, provocante diabolo, separari. Ad indulgentiam percipiendam, nolunt ab invicem Deo vocante, discerni: ut appareat non pro nostra ratione nos dolere quemcumque videmur amittere: sed indicium magis ostendere diffidentia.

Mihi crede, sola in omnibus incredulitas moriet. Et sicut non potest fides nosse quod doleat: sic diffidentia sola doloribus invenitur ancilla. Nam si dormientes dicimus, dormientes utique credere debemus: & non mortuos, sed requiescentes, secundum vocem Domini. Omnis enim, inquit, qui credit in me, licet moriatur, vivet. Si tibi medicus hoc promitteret quisquam, nullam sine dubio promissioni ejus negare poteris omnino lætiam. Nunc quia Christus fabricator & resuscitator promittit: non times eam plangere, ut fidelioem Christo pariter & potentioem medicum videaris in promissione judicare.



Sed desititum, dicit, doleo senectutem meam: qui debueram liberos meos potius antecedere, ne in laboribus remanerem. Quando de spiritualibus bonis quodcumque tractatur, nihil est omnino de carnalibus ante oculos proponendum. Ego tibi melius profiteor evenisse: qui non carnalem, sed spiritualem circa te confidero felicitatem. Tu te dicit de pignoris tui obitu in senectute confectum: ego e contra probo sublevatum. Senectuti tuae amputavit Dominus magis sollicitudinem, quae torquebat de viva filia ne periret. Melius utique nunc mortuam saeculo credis esse apud Deum vivam, quam hic vivam mortuam. Gaude tibi quod filiam Christianam mereberis sequi: quam secutus, in caelo gaudeas rursus amplecti. Non te deseruit, sed praecessit. Misisti nutrimenta tua Christo. Si luctum horrueris, & te obtulisse pignus Deo deputari poteris. Secundum votum tuum habere post Abraham, si non potes primum: ut quod ille non dubitabat offerre, tu saltem videaris de sublato gaudere. Ab illo Dominus postulavit, a te tulit: ille iussioni paruit, tu voluntati consentias. Illam per illicitam legem naturae probavit tibi devotum: te saltem per licitam conditionem mortalitatis annotet religiosum. In qua parte Christianum te poteris approbare.

Erubescat incredulitas nostra: quae nec cum gentilibus Deo vult esse subiecta. Communis est nobis cum illis exitus mortis: & dolores illorum superamus doloribus nostris. Quid ageremus, si peculiare aliquid exigeretur a nobis? Quod ad dedecus nostrum pertinet: gentiles dolores saepe contemnunt, cum non ad promissa caelestia, sed ad penas tartari rapiantur: & nos plangimus euntes ad caelum? Considera, Christianus talis quid merebitur deinceps: qui nec imitari contendit exempla sanctorum, nec contemptum habere gentium? Illi luctus desperando despiciunt: nos & sperando despiciere non conamur. Illi servire intrepidant filios suos mortalibus tradunt: & nos Deo nostro simul & suos liberos, & nostros liberandos dimittere sacrilega mente cunctamur: quasi tutius apud homines iudicemus magis quam penes Deum condemnari. Aliquem filiorum Christiani nolunt vel gratulatione sua deducere ad bona: gentiles tradere non cunctantur ad mala.

Postremo vel cum ipsa felicitate nostrorum morientium cogamur animum flectere: ne desideris eorum desideria nostra incipiant reluctari. Esto religiosus, vel voto ejus quae evasit, si non potes tuo. Exulta, quia placuisse cognovisti tui participium sanguinis Christo: maxime quod de occasione debeas tolerare Domini voluntatem: cui non potes contradicere. Et cum sit omnibus communis hic casus: vanus dolor est, qui nec primus videtur esse, nec solus.

Sed dicit: nullus me de mea desolatione mentis angor exulcerat: sed pro derelictis parvulis morientis humanitatis affectus impulsat. Nec licet commoveri animum Christianum, ne contra Christi imperia reluctetur. Quid interest quando-cumque & qualescumque filios dimisisse: quos jubemus a Domino causa devotionis odisse? Melius nunc salvam animam suam moriens dereliquit in pace: ne in persecutione dimittere cum suo interitu non valeret. Ipsi auxiliabitur in mundo: quorum matrem habet in caelo. Et qui matri subvenit, & filiis certe succurret.

Postremo vide, si aliquid debeat dolori concedi, ubi sine aliquo remedio potest animus fatigari. Sapienter debet dolere qui dolet: ne perdat sine causa quod dolet. Nunc autem contra luctum sumenda sunt arma: ut spes nostra possit habere victoriam. Principaliter quod voluit Deus suscipere gratulemur. Deinde quia hoc nobis in mundo commune est: additur privatim peculiare nostrum, quod ad requiem deducamur. Sequitur consummatio omnium gaudiorum, quod in resurrectione invicem nobis Domino reformante, reddemur: quod Apostolus pollicetur: Nolo vos ignorare fratres de dormientibus: ut non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent. Si enim credimus quia Christus mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt in Christo, adducet cum illo. Haec tibi Benedicte pro charitate communi transmissi. Ceterum scio te valere, alios consolari. Tunc te orbitas non inveniet penetrabilem, si alios contra illam non cesses armare.

#### CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Haec in quibusdam exemplaribus inscribitur ad Oceanum,

verum homiliarum more desinit. Sapiens eundem authorem, cuius est superior Epistola, quippe nec eloquens, nec erudita, nec ullo modo spirans pectus Hieronymianum.

#### AD OCEANUM DE FERENDIS opprobriis hortatoria.

**D**IVERSORUM opprobria, tribulationes multiplices, quibusdam insidiantibus, te sustinere cognovi. Cujus rei causam non tantum, si haec refellas, doleo, quantum gratulor, si libenter excipias: in hoc enim in nobis Christi ostenditur fides, timor cernitur, manifestatur mors, si opprobriis & tentationibus pro suo nos granter amore subjugemus. Nec hoc nobis contrarium debet esse, sed gratum, pro eo vel parva perpeti, qui majora pro nostra salute perpessus est: praesertim cum sciamus regnum caelorum non sine variis tentationibus adipisci: ut scriptum est: Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei. Si ergo per multas tribulationes, quibusdam caelestis regni aditus aperitur: illis utique clauditur, qui nolunt sustinere vel paucam.

Oportet ergo nos diversa tentationum genera aequo animo perpeti, per quae nobis caelestis javua promittitur aperiri. Beatus Apostolus Jacobus nos hortatur & docet, quales in tribulationibus esse debeamus, cum dicit: Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. Unde satis praeposterum & contrarium est, nos in hujusmodi rebus molestia aliqua fatigari: in quibus gaudium potius jubemur habere, quam luctum. Et alibi idem Apostolus dicit: Beatus vir qui permanet in tentationibus: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. Vide ergo quantum homini tentatio proficit: per quam beatitudinem consequitur & coronam. Sed illud intelligendum est cum ita dicit: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. Illos, inquit, probatos, & ab his Deum diligere, qui ob nominis ejus causam in tentatione perseveraverint, quibus merito corona promittitur: illos vero reprobos & nullius vitae praemio dignos, quos nulla tentationum causa vexarit.

Quapropter & nos gaudere in tentationibus oportet, & portare debemus, per quae & probati aeternae vitae praemio coronemur. Hoc etiam ipse Dominus in Evangelio suo declaravit, dicens: Beati estis cum vos maledicent, & persequentur: & dicent omne malum adversum vos propter justitiam. Gaudeat & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Quis ergo post hujusmodi vocem tentari se non sinat? Quis ab hominibus persequi se justitiae causa non optet? Quis non tribulari velit? Quis se non maledici desideret: ut mereatur Christi voce laudari, & caelesti copiosa mercede munerari? Utinam ob Domini mei nomen atque justitiam cuncta infidelium turba ne persequatur & tribulet. Utinam in opprobrium meum solidus hic mundus exurgat: tantum ut ego merear a Christo laudari: & suae pollicitationis sperare mercedem. Grata itaque & desideranda tentatio est, cujus praemium speratur a Christo in caelo: nec maledictio gravis est, quae divina laude mutatur. Sustineamus ergo nos paululum in hac vita tentari: ut aeternam postmodum possimus pro temporali capere tentatione mercedem.

Hominum quoque opprobria detractionisque patienter & leviter toleremus: ut Domini laudibus digni esse possimus. Nam si humanam laudem quarimus, divinam amittimus. Quisquis enim ab hominibus laudatur, culpatur a Christo, sicut scriptum est: Vae vobis divitibus, qui consolationem vestram habetis. Vae vobis qui saturati estis, quia esurietis. Vae vobis qui ridetis & gaudetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Vae cum benedixerint vobis omnes homines. Vide ergo quam gravis & molesta sit humana laudatio, cui ita Dominus comminatur. Homines enim animales atque terreni, non nisi quae temporalia & terrena sunt, diligunt: & quae diligunt, haec laudare videntur. De illis scriptum est: Omne animal diligit simile sibi: & sic omnis homo secundum genus suum laudat opes, epulas, & divitias, & eos qui pretiosis & mollibus gloriantur in vestibus, quae omnia lex sancta prohibet atque condemnat.

Eos vero qui dilectione & timore Domini cogente, abjiciunt haec omnia, & sanctos secundum legis ordinem se exhibent, irridet atque subannant, infelices atque miseri

suorum malorum nimietate caecati: quibus non sufficit quod propria nolunt lugere peccata, adhuc insuper eos qui lugere videntur, irridet: & in subannationem habent, quos debuerant imitari. Sed venit tempus ut eorum risus vertatur in luctum: quibus nunc noster planctus est risus: & ut se fuisse divites luceant, qui nunc Christi pauperibus impudenter insultant. De quibus scriptura dicit: Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos qui se angustia vererunt: & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili: & subitaneae insperatae salutis dicent intra se penitentiam agentes, & praee angustia spiritus gementes: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improprietatis. Nos insensati, vitam illorum aestimabamus insaniam, & finem eorum sine honore. Quomodo ergo nunc computati sunt inter Filios Dei, & inter sanctos fors illorum est? Ergo nos erravimus a via veritatis: & iustitiae lumen non luxit nobis: & sol non est ortus nobis. Lassati sumus in iniquitatis via & perditionis: & ambulavimus in solitudines difficiles, dum viam Domini ignoravimus. Quid profuit nobis superbia nostra, aut divitiarum jactatio quid contulit nobis? Transierunt omnia ista tanquam umbra.

Si haec nunc gloriosi & divites lugerent, & qui alios irridet, dum tempus est & ipsi se flerent, non necesse haberent eo tempore gemere, quo nullus jam gemitus stetit, que proficiet. Cujus temporis indicium beatus Apostolus Jacobus cernitur memorare: dum divites ut in praesenti se luceant, hortatur & commonet, dicens: Agite nunc divites: plorate ululantes in miseris quae advenient vobis. Divitiae vestrae putrefactae sunt: & vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum eruginavit: & erugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Epulati estis, & in luxuriis nutritis corda vestra in die occisionis. Sciebat enim quod quisquis se in praesenti tempore flester, in futuro non feret. Hoc & ipse Dominus dicit: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Qui lugent, inquit, hoc tempore, ipsi postmodum consolabuntur a Christo. Ridetibus vero dicitur: Vae vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis.

Sed ne quis putet quod Dominus generaliter omnibus ridetibus comminatur, cum alibi dicat scriptura: Vir autem sapiens tacitus ridebit. Est ergo sine crimine risus, & est risus in crimine. Sapiens risus, nihil in se criminis habet. Ille vero indignus est, qui sanctos & eos qui se Deo exhibent, irridet: de quo dictum esse puto: Qui irridet inopem, ad iracundiam provocat eum qui fecit illum. Sed quis est iste inops, cujus subannationis causa Dominus provocatur ad iram: nisi ille qui humanas terrenaque opes idcirco contempsit, ut illi placeret pauper, cui difficile opulens placere potuisset? Merito illis irascitur Dominus, qui propter se pauperem factum irridere non metunt. Irridebant enim scribae & pharisaei Christum, quia divitias contempserat: sicut scriptum est: Haec audientes scribae & pharisaei, qui erant avari, irridebant eum. Habemus & nos scribas: habemus etiam pharisaeos: qui nunc discipulos Christi spernentes divitias, irridet: sicut illi irriserunt Dominum ac magistrum.

Sed dicendum est eis, quod tunc temporis dictum est illis: Vos estis qui justificatis vos coram hominibus. Quod enim hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Non oportet ergo nos quorundam risu vel subannatione terri, cum etiam ipsi Dominum a talibus non ignoremus irrisum: sed exultare potius & gaudere debemus, si & nos illa omnia quae Dominus noster ante pertulit, perferamus, recepturi etiam pro ipsa subannatione mercedem. Quia nihil est quod nobis pro Christi nomine sine praemio irrogetur. Vide ergo quam beati sint atque felices, quibus etiam insipientium risus proficit ad salutem. Ita enim Dominus diligentes se diligit, ita se timentes honorat: ut nec irrideri eos grauitio sinat: quibus & pro subannatione retribuit ultionem.

Haec igitur tu sapiens sanctaque anima vide, ne insipientium & infidelium fabulis terrearis: quod minus ea quae sunt legis, facias. Neque enim de gehennae ignibus nos hominum fabulae poterunt liberare vel risus: sed Christi timor atque justitia. Nolo te nec in hac parte confundi: si tibi pro Christi nomine vel opere, a perituri & vanis hominibus derogetur: quibus & interitum felicitas praestat. Sed gaude potius & letare, sciens tibi repositam etiam pro ipsa derogatione mercedem. Nam satis iniquum & impium est, si tu tibi pro ejus

nomine nec detrahi patiaris, qui propter te tanta perpessus est. Quam vero grave sit pro Domino non sustinere omnia, quae advenerint in hac vita, sive damna, sive derogationes, suspiciones, detractiones, vel caetera, quando ille cum Deus & Dei Filius esset, pro tua salute opprobria hominum injuriasque sustinuit? Valde ab eo alienus est, qui nec detractiones saltem sustinere contentus est. Nam quomodo eum amare dicimus, si pro eo nihil sustinere parati sumus?

Quod si in nobis est ipse vera dilectio, quaecumque pro ejus nomine, quamvis gravia, irrogetur, exigua censemus, & dicimus: Parva sunt ista quae patimur: majora ille pro vita nostra pertulit. Nihil nobis dignum pro ejus nomine irrogatur. Quod si sententiae ipsius memores sumus, intellegimus. Ait enim: Non est discipulus super magistrum: nec servus super Dominum suum. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? Et nos ergo si discipuli, si domestici Christi sumus, debemus opprobria, detractionesque amplecti, & sustinere libenter: & aequo animo ea omnia ferre, quae pro nobis magister & Dominus pertulit noster.

Qui vero haec sustinere non vult, nec discipulum ejus se depromat esse, nec servum, nec filium, nec domesticum. Ille enim innocens, immaculatus, intactus, in quo nulla potuit peccati macula reperiri: de quo Propheta praedixerat: Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, pro nobis sacrilegis & peccatoribus & aeterno supplicio mancipatis: tanquam atrocissimus reus ab iniquis iudicio sistitur, flagellis caeditur, sputaminibus irridetur: & nos propter eum confundimur erubescere, qui propter nos tanta perpessus est: Ille enim pro salute nostra dorsum verberibus, sputaminibus faciem, maxillas palmis, non confunditur parare: & nos pro eo leve etiam confundimur audire convitium: Gaudeamus potius & letemur, si pro tam magnis ejus & pro nostra salute passionibus vel parva sustineamus.

Ceterum quae spes nobis est, si ob eum audire blasphemiam, aut sustinere confundimur: qui nostri causa de caelis descendit ad terras, & ut nos exaltaret, humiliavit se? Et cum immortalis esset, mori contentus est: ut nos ab aeterno mortis laqueo liberaret. Coronatus est spinis, ut nos qui ante spinei & infructuosi steteramus, fructum bonae arboris apportaremus. Felle & aceto potatus est: ut in nobis jam nec fellis amaritudo, nec aceti esset asperitas. Filius hominis factus est, ut nos filios Dei faceret. Vide ergo si pro isto confundi debemus aliquid sustinere. Verè illa est anima felix & angelis aequanda, quae pro nomine & opere Christi, tanta quanta pro nobis ille sustinuit, voluerit sustinere.

Ceterum grande periculum est iustitiae, ejus erubescere exemplo vivere, qui nostram iniustitiam non erubuit sustinere. Deinde si aequo animo pensamus id ipsum quo nobis quis detrahere videtur injuste, laudari nos potius quam accusari probamur. Nam quid aliud faciunt, cum vera de sanctis dicunt: nisi ut ea dicant quae facimus, jejunos, abstinentes, sobrios: qui jam delicias non delectantur & epulas, qui divitias spernunt, & pretiosis non gloriantur in vestibus. Qui auri cupiditate minime captivamur, qui non adipiscimur argentum, & quaecumque humana vanitas videtur complecti, contemnunt. Nullus hic confusionis est locus, nullus verecundiae aditus. Illi magis erubescere debent atque confundi, qui ea quae sanctis displicent concupiscunt.

Erubescant igitur ebriosi, voraces, iniusti, raptores, adulteri, & quicumque suis gloriantur in malis, quos gehennae ignis expectat: & quibus supplicia praeparantur aeterna. Facientes autem Domini voluntatem, confundi non debent: in quibus nulla confusionis sunt opera. O quam indignum est atque praeposterum, ut iusti confundantur in bonis, & peccatores gloriantur in malis. Videat ergo anima Deo devota, ne insipientium risus eam, aut stultorum hominum vanissimus sermo confundat, & a suo proposito retrahat: in quo magis per dies singulos proficere debet in melius. Videat ne quis a timore Christi se revocet, ne quis ab ejus dilectione divellat, propter quem omnem saeculi gloriam pompamque contempsit, cui nihil dignum penitentiae comparavit, quem parentibus filii, quem liberis patres, quem conjugibus praeferebant continentem.

Crescat in nobis quotidie amor Christi, crescat fides, C c iij